

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2330

**Auteur(s) :** Étienne, Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (moine)

**Bénéficiaire(s) :** Troarn, Saint-Martin (abbaye)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1101-1300]

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lettre d'Étienne, moine de Savigny, à l'abbé et aux moines de Troarn pour leur annoncer l'envoi de diverses reliques.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 7865.

### Éditions principales

a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, n° XVII, p. 389-390.

## Dissertation critique

XIIe-XIIIe siècles, d'après R. Sauvage.

Texte établi d'après a

Patri venerando et in Christi caritate plurimum dilecto [ ] abbatii Troarni sanctoque sibi commisso gregi, frater Stephanus, monachus Savigneii, salutem et eternam gloriam. Vestre pietati gratias merito referto multas quia multum est unde. Veni ad vos semel et secundo, et vice utraque in hilaritate spirituali a vobis susceptus sum, immo ab ipsa virtutum magistra caritate Dei que procul dubio in vobis habet habitaculum. In prima quidem susceptione cum gaudio Sancti Spiritus vestra mihi beneficia non retractive aut diminutive sed eque ut vobis hilariter et plenarie concessistis. Talis quippe est [ ] largitas caritatis que proximum tamquam se ipsum diligere novit. De hac autem secunda quid dicam ? Major humanitas majorque benignitas cui unquam exhibita est ? Confido in domino Jesu, remuneratore omnium bonorum, quod mercedem vobis ipse copiosam recompensabit et pro impensa humanitate et pro nostra nichilominus edificatione. Multum nempe in vobis edificatus sum. Quem, queso, non edificaret, ut cetera taceam, ipsius sancti conventus tam disciplinata decensque compositio et gravis maturitas, in annis etiam quibus natura denegat gravitatem? Ne igitur memoria nostri evanescat a vobis, quos vera certe dilectione complector, de sanctis nostris reliquiis copiosam vobis misimus benedictis, vide licet de sancta cruce, de sepulcro, de presepio, de mensa Domini, de petra calvarie, de monte Syon, de quadragesima Domini, de annuntiatione Domini, de confessione Domini, de petra super [ ] pedes ejus quando oblatus fuit in templo, de petra delsata, de petra qua Dominus ascendit in celum, de petra super quam comedit cum discipulis suis, de lapide super quem locutus est cum muliere Samaritana, de petra super quam oravit ad Patrem et factus est sudor ejus sicut guta sanguinis decurrentis in terram, de vestimentis et de zona Beate Marie, de sepulcro et transitu ejusdem ; item

reliquias beati Johannis Baptiste et Zacharie, patris ejus, et Danielis prophete ; apostolorum Petri, Pauli, Andree, Mathie ; martyrum Innocentum, Stephani. Laurencii, Syxti, Christofori, Mauricii, Vincentii, Eustachii, Georgii, Urbani, Theodori, Clari, Nichasii, Leodegarii, Quintini, Luciani, Pancratii, Germani, Albani, de sanguine sancti Thome martyris et de vestimentis ejus ; confessorum Silvestri pape, Gregorii pape, Martini, Augustini, Nicholai, Sansonis, Hylarii, Juliani, Paterni, Maurilii, Leonardi, Maledocti, Florentini, Gorruini, Gildardi, Firmati, Patr[ici]ji, Launomari, Egidii, Romani, Simeonis qui Dominum tenuit ; virginum Marie Magdalene, Marie Egipte, Anne, matris Beate Marie, Susanne, Agathe, Eufemie, Perpetue, Oportune, et plures alias reliquias ignotas. Certissime autem scitote ex magna esse devotione et habundantia dilectionis quod tantam copiam vobis concessimus. Rogo igitur vos ut auro tectas et argento principali ecclesie vestre altari superponatis. Ceterum vestram humiliter imploro benignitatem quatinus, cum de gravi misere carnis ergastulo migrasse me audieritis, adversarios nostros malignos spiritus a direptione captive animule mee sedulis orationibus vestris propellere satagatis. Optime valete in Domino semper.